



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniae, 1622

Creditur mortuum excitasse. 76

urn:nbn:de:hbz:466:1-44900

cum postliminium non haberent, auctori infensi minitareretur. Post, ubi metu consternari hominem non posse intellexere, aliquoties illum adorti, fustibus atrociter insultarunt; easque illi plagas imposuere, quae aliquando malagmate erant curandae. Insanierunt ij quidem talia; Caeterum IGNATIVS sua nihilo magis desinebat: laetus ea fecisse, quibus poenas improbi, praemia superi decernerent. Alterum erat huiusmodi. 76 Redibat forte in urbem ab eodem illo cenobio IGNATIVS; cum ex obuijs cognoscit, in propinquo propter planitiem LVELLAM, tragicam rei facinus parratum; hominem quendam ærumnosum, ut sibi lethum conscisceret, infami nodo sese à cubiculi trabe suspendisse. Inhorruit ad barbaram necem noster; in aedes irrumpit; & spectata ærumnae scena, laqueum properat incidere.

dere. Deruit ab infelici arbore ca-
daver: (nam reliqui mortuum cō-
clamarant) at ipse in preces descē-
dit; tum deinde iacētem compel-
lat; & ecce tibi, reuiuiscere suspen-
diarius, ac sensibus iterum valere,
tantisper, dum repetitis animi do-
lentis indicijs, vitam, sed oppor-
tunius exhalaret. **QUOD IGNATII**
factum, rebus planè pensatis, vi-
deri potuit ope maiori quàm ho-
minis, esse perpetratum: ideò con-
festim tota vrbe diuulgari cœptū,
sui habuit ad omnes admiratio-
nem. Mansit autem Barcinone bi-
ennium; vir tanto natu, rudibus
puerorum studijs, sed olim ma-
gnę rei futuris, intentus. Denique
sub annum **CIO** **IO**. **XXVI**. auctori-
bus viris doctis, maiorum litera-
rum causa Complutum discessit.

77 Compluti recens extractum
erat diuersorium, Ludouici An-
rezanæ; gratuitæ pauperum ædes.

Ibi